

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras**

**Reding, Augustin**

**Monasterii Einsidlensis, 1669**

Dissertatio XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

tuali per providas suas ordinationes  
præsentiâ.

DISSERTATIO XII.

*An non sit blasphema calumnia, dum  
Dedicatio Sacelli Eremitani dicitur insti-  
tuta in fine n. cultûs idolo-  
latriæ?*

I. **H**eideggerus *cit. S. 19. arg. 2.* ita pro-  
cedit: Scriptura mandat invocacionem  
folius Dei *Deut. 6. 13. Math. 4. 10. Psal. 50. 15. Isaia 55. 6.* Unde idololatriæ  
postulantur, quotquot eum cultum aliò re-  
ferunt. *Deut. 17. 3. 2. Reg. 17. 13. Rom. 1. 25. Gal. 5. 8.* Atqui apparitio illa & Dedicatio  
Sacelli Eremitani non alio fine insti-  
tuta est, quàm in stabilimentum cultûs  
Religiosi Sanctorum.

II. Quàm probè suorum Magistrorum  
ingenia hîc imitatus est Heideggerus.  
Nam & Zwinglius *Epich. de Can. Mis-  
sa* ait: se nihil morari diuturnitatem, &  
Hieronymi contra Vigilantium de In-  
vocatione Sanctorû tela amara potius,  
quàm

quàm firma. Et Beza *advers. 3. par. lib. Brentij in fine*. Divum Hieronymum idololatriæ insinuat, dum Sanctorum invocationem contra Vigilantium defendit. Vides igitur, quàm planum sit, quòd ex Vigilantij antiqui hæresarchæ spiritu procedat impugnationis Sanctorum. Pro quâ proinde manutenendâ, si Heideggero non videatur sufficere antiquæ Ecclesiæ, ipsi etiam Reformatis Ministris testibus, illibatæ orthodoxæ, piæ, ac puræ sanctorum Doctorum & Patrum, speciatim Dionysij Areopagitæ *cap. 7. Ecclesiast. Hæresarch. Irenæi lib. 5. cont. hæres. post med. Eusebij lib. 13. Preparat. Evang. cap. 7. Athanasij serm. in Evang. de Annuntiat. circa fin. Basilij Orat. in 40. Mart. Gregorij Nazianz. Orat. in Cyprian. in med. Chrysofomi Homil. 66. ad populum circa fin. Gregorij Nysseni Orat. in S. Theodorum, circa fin. Ephrem in Serm. de Laudib. SS. Martyr. Cyrilli Cath. 5. Mystag. Theodoreti in histor. SS. Patrum, in fin. Damasceni lib. 4. de fide. cap. 16. Theophy-*

phylacti in cap. 11. ad Hebr. Cornelij Papæ in Epist. 1. de transl. corp. Apost. Hilarij in Psal. 129. Ambrosij lib. de Viduis, post med. Hieronymi in Epitaph. Paula, circa fin. Maximi in serm. de S. Agnete. Rufini lib. 2. histor. cap. 33. Paulini in fin. carmin. panegyrici de S. Celso. Augustini Tract. 84. in Ioan. & alibi saepe. Victoris Utcensis lib. 3. de persec. Wandal. circa fin. Fulgentij serm. de laudib. B. Mariae. Leonis serm. 5. de Epiph. Gregorij lib. 2. Dialog. cap. ult. in fine. Gregorij Turonensis lib. 1. de Gloriâ Mariyr. cap. 94. Bedæ lib. 4. in Cant. circa fin. Anselmi in lib. de Excellent. B. Virg. Mariae, cap. ult. Bernardi serm. 2. super Evang. Missus est. Horum, inquam, Patrum (quorum testimonia clarè probare Sanctorum invocationem, patebit ea revolventi) Autoritas, si Heideggero non sufficiat, produco in medium ipsius etiam sacræ Scripturæ indubitatos textus.

III. Nam Genes. 48. Iacob benedicens filijs Ioseph, ait: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis. Et Job 3. Vocæ, si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sancto-

Sanctorum ( scilicet Angelorum, uti Sanctus Augustinus in Annotat. in Job exponit ) convertere. Et hinc quando Job cap. 19. clamavit: *Miseremini mei amici mei.* Divus Augustinus hoc accipit de Angelis sanctis. Item Job 33. habetur: *Si fuerit Angelus loquens pro eo unus de millibus, miseretur eis, & dicet, libera eum.* Insuper Exodi 32. Moyses ita oravit: *Recordare Domine, Abraham, Isaac, & Israel servorum tuorum.* In hunc autem locum notat Theodoretus q. 67. in Exod. sanctum Moysen, cum se non existimaret sufficientem ad placandum Deum, adhibuisse patrocinium Patriarcharum.

IV. Neque obstat objectio Heideggeri, quòd invocatio solius Dei mandetur in scripturâ, ita ut idololatriæ postulentur, qui eum cultum aliò referunt. Etenim verum quidem est, idololatriæ reos esse, qui cultum Latriæ soli Deo tanquam universorum Domino ex supremæ suæ Majestatis Jure debitum alijs attribuunt, At falsum est; id fieri per invo-

invocationem Sanctorum, utpote quos non colamus, uti Deum, ex titulo absoluti alicuius dominij, sed tanquam amicos, & servos Dei ex titulo sanctitatis à Deo participatæ, cum relatione saltem virtuali totius istius cultûs in Deum tanquam finem & Dominum, seu Causam omnis extra se sanctitatis effectricem. Et sic Sanctos colimus & invocamus longè inferiori titulo, & cultu Dulia, cum econtra Deum ceu absolutum Dominum, universarumquè rerum arbitrium sub suo supremæ Majestatis Jure, ac insuperabili potentiâ continentè, adoremus cultu Latria. Quam equidem Latria & Dulia Cultûs distinctionem apud veteris quoq; Ecclesiæ Patres fuisse in usu, negare non potest Calvinus ipse *Institut. lib. 1. cap. 12. sect. 2.*

V. Cæterum hîc præterire nullatenus volui, quæ Heideggerus *S. 2. sua synodalis Dissertationis* exposuit sequentibus verbis. Nemo cordatus, & à partium humanarum studijs remotus vitio nobis

bis dabit, si, quod Judæis arrogat Sal-  
 vator noſter, id ipſum arrogamus &  
 nobis: quod Samaritanis impingit, id  
 ipſum impingamus & ijs, qui in veri  
 Dei cultu ab Eccleſiâ noſtrâ totis caſtris  
 diſſident, Pontificijs puta, in Romani  
 Pontificis verba juratis. Etenim per  
 Dei, qui in Verbo ſuo ſalutiferam no-  
 bis facem adlucet, gratiam adoramus.  
 id, quod adorandum eſſe novimus, ve-  
 rum nimirum Deum Iſraelis in Chriſto  
 unico Salvatore noſtro, qui eſſectus ſu-  
 per cœlos aſpectabiles in throno ſuo re-  
 ſidet ad dextram Dei Patris. At illi præ-  
 ter Euchariſtiam, & Angelorum, San-  
 ctorumque cœlitum mentes, atque ha-  
 rum Reliquias, & ſacras, ut vocant, tum  
 Dei, tum iſtarum imagines; ac deni-  
 que Crucis, cui Chriſtus pro mundi  
 peccato ſuffixus fuit, particulas & effi-  
 gies ex quâcunque materiâ effictas, di-  
 ſpari quidem cultu, ſed tamen religio-  
 ſo omnes cultu colendas, atque ado-  
 randas hiſcunt, ipſique palam irafacti-  
 tant.

tant. Verùm cum religiosus harum rerum cultus nec à Christo, cujus auctoritate stat Religio Christiana, traditus & institutus, nec ab ejus Apostolis propagatus, vel apud vetustissimos eorum discipulos usurpatus, cognitusque fuerit; an non sicut Christus Samaritanos, ita nos Pontificios redarguemus his verbis: *vos adoratis, quod nescitis?*

VI. Iste Heideggeri Paragraphus nimis turget blasphemis calumnijs, ut opus sit pluribus, si ex merito eas velimus expendere. Inprimis libenter concedo isti Tigurino Professori, Ecclesiam suam Tigurinam totis castris dissidere à nostrate Romanâ Catholicâ, & Apostolicâ Ecclesiâ. Nam quâ conscientiam nobis convenire liceret cum Reformatâ, ut ajunt, Religione, cujus Doctores, veteres Patres, Ecclesiam, Concilia, Evangelia, Prophetas, Apostolos, ipsumque Christum, ac Spiritum Sanctum gravibus errorum censuris calumniosè notant, Calvinus *Instit. lib. 2. cap. 20.*



cap. 2. sect. 4. & cap. 4. sect. 3. Item cap. 14. sect. 3. lib. 3. cap. 4. sect. 38. & cap. 9. sect. cap. 15. sect. 2. Item lib. 4. cap. 10. sect. 20. cap. 13. sect. 16. cap. 14. sect. 14. cap. 15. sect. 7. & sect. 19. item cap. 17. sect. 28. & 39. & aliàs sæpe non erubescit tum Augustinum, tum alios primorum quinque sæculorum Patres ( in quibus tamen alibi piam & orthodoxam fidem illibatè substituisse, cum alijs Reformatis Doctoribus deprædicat ) incusat gravium in materijs etiam fidei errorum. Immodicam suam censurandi licentiam Calvinus lib. 4. Instit. cap. 9. sect. 10. stringit etiam adversus Oecumenicæ Concilia, quæ tamen ipsum quoquæ Reformatum Ministerium sacrosancta appellat. Zwinglius *Epiche. de Can. Missæ* non erubuit, ut scriberet, Apostolos ex indulgentiâ permisisse infirmis quibusdam pro mortuis orare, si Chrysostomus tamen & Augustinus verè tradiderint, hunc morem ab Apostolis usque ad se manasse. Molinæus cap. 24. de

F

invo-

*invocat Sanct. pag. 275. cum suo Magistro*  
 Calvino *lib. 1. Instit. cap. 14. sect. 10.* Joannem  
 Evangelistam idololatriæ insinulavit,  
 dum Angelum, quem sciebat non esse  
 Deum, adorare voluit. Quàm calumni-  
 osè sancti Prophetæ tractentur ab illo  
 reformato ministerio, videre licet ex  
 Calvino *lib. 1. instit. cap. 8. sect. 2.* item *lib.*  
*3. cap. 20. sect. 15. & 16.* Idem Calvini  
 spiritus adversus ipsum Spiritum San-  
 ctum se attollit *cit. lib. 1. cap. 8. sect. &*  
*lib. 3. cap. 6. sect. 1.* asserendo, Spiritum  
 Dei non ita exactè, nec perpetuò metho-  
 dicam rationem ( in sacris scilicet  
 litteris ) observâsse, quam tamen, dum  
 alicubi ponit, doceat non esse negligenda:  
 interdum verò rudi, crasso, &  
 barbaro stylo usum esse. Wollebius *l.*  
*cap. 24. can. 6. Comp. Theol. & Szegedinus*  
*locor. commun. Tab. de profanat. Cœna Domini,*  
 usum azymi in Cœnâ Domini vo-  
 cant profanationem, ac Iudaicam su-  
 perstitutionem, cùm tamen Szegedinus  
 cum alijs reformatis ministris fateatur,  
 Chri-

Christum in Cœnæ institutione ac celebratione azymo usum fuisse. Vides igitur, qualiter reformata Ecclesiæ ministri turgeant calumniandi spiritu, ut adeò mirum non sit, si quoad cultum Deo, & Christo debitum toto cælo ab ipsâ distent Romana, Catholica, & Apostolica Ecclesiæ cultores Pontificij.

VII. Gloriatu[r] porro Heideggerus præadducto. §. se per Dei, qui in Verbo suo salutiferam sibi facem adluceat, gratiam adorare id, quod adorandum esse noverint. Verum Lutherus, referente Sculteto *Annal. Dec. 1. ad An. 1525. & Dec. 2. ad An. 1531.* Zwinglianos ob negatam Christi in Eucharistiâ præsentiam realem, ministros sathanae, ac hæresis reos, è contra Zwinglius *in cit. Annal. Scult. Decad. 1. ad An. 1525.* & Bullingerus *advers. Brent. cap. Decret. Concil. Chalcedon.* alijque Zwingliani & Calvinistæ Lutheranos ob Christi in Eucharistiâ realem præsentiam assertam, Antichristianos, Eutychianos, & Nesto-

rianos proclamârunt. Quibus tamen non attentis Beza *advers. Brent. pag. 408.* arbitratur, hanc controversiam nō tantū esse, ut exinde amittatur fundamentum fidei. Hottingerus verò *in sua Synodali ult. Dissert.* existimavit, istam quæstionem esse in materiâ adiaphorâ, cujusque ad credendum licentiæ relinquendam. Quomodo ergo Tigurina Ecclesia scire uniformiter potest, an, & qualiter, vel quid adorare debeat in Eucharistiâ? Vana igitur est illa Heideggeri gloriatio: vana etiam est ejus adversus Pontificios exprobratio. Nam quia supra *Dissert. 5. n. 2.* probatū est, Verba Christi Domini apertè significare realem sui in Eucharistiâ præsentiam, in spiritu & veritate rectè adoramus hoc Sacramentum cultu absoluto Latriæ. Quia etiam Angelorum Sanctorū mentes, ex ipsismet sacris Litteris, & sanctis Patribus *pres. Dissert. n. 2. & 3.* demonstratur cultæ non quidem latricæ adoratione, sed cultu Dulciæ, talem exhiben

do

do venerationem, non aberramus à veritate, & Spiritûs Sancti doctrinâ. Quia porrò imaginû, & Reliquiarû Sacrarû, ipsiusque adeò Crucis exemplatæ tanquàm Christi Domini Crucifixi figuræ, nec non Crucis Christi originariæ partium, utpote ejus contactu sanctificationum, cultus non quidem absolutus, & intransitivus, sed respectivus & transitivus fundamentum habet in verâ fidei ab antiquis veteris Ecclesiæ Patribus expositâ doctrinâ, uti partim *supra Dissert. 3. n. 3.* partim infra ostenditur, ideò in hisce omnibus colendis ex Divino fidei Verbo edocti, scimus, quid, & quomodo adoremus, seu colamus.

## DISSERTATIO XIII.

*Qualiter Heideggerus calumniosè exprobet, asserendo, illam Sacelli Eremitani Dedicacionem institutam fuisse in stabulamentum superstitiosissimarum ad loca sacra Peregrinationum.*

L. Heideggerus *cit. §. 19.* calumniatur, quòd illa apparitio & Dedicatur,  
F 3                      dica-